



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.  
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.  
508 J 65 [1]



Early European Books. Copyright © 2011 ProQuest LLC.  
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.  
508 J 65 [1]



Early European Books. Copyright © 2011 ProQuest LLC.  
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.  
508 J 65 [!]



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.  
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.  
SOB I 65 [1]



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.  
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.  
508 J 65 [1]



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.  
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.  
508 J 65 [1]

O R A T I O  
F U N E B R I S,  
Recitata in Exsequiis

*Amplissimi & Gravissimi Viri,*

U L R I C I H U B E R ,  
Supremæ Frisiorum Curiæ Ex-Senatoris; Juris-  
Consulti Eruditissimi ac Celeberrimi:

A

C A M P E G I O V I T R I N G A ,  
SS. Th. & Hist. Sacr. Professore.

A. D. xiiii. Kal. Dec. Anni ccccxciv.



F R A N E Q U E R A E ,  
Apud LEONARDUM STRICKIUM ,  
M D C C .

О Р А Т А Й О  
Е У Н Е Б Р Я

Р е с и д е н ц и я

Б о л ш о г о К о н с у л а т о р и я

О Л Р И Г - И Н У Б - Я

С п е ц и а л и з а ц и я Г о л л а н д и я Г е н е р а л и

С п е ц и а л и з а ц и я О р е н б у р г

А П Е Н Г И Т Н О В А З М А Т

С т а т и с т и к а

С т а т и с т и к а



А П Е Н Г И Т Н О В А З М А Т  
С т а т и с т и к а  
С т а т и с т и к а



Uæ subsit cauſſa , Audd. quod hoc ex Suggeſto pullatus extra ordinem prodeat Orator ; quod hoc in Templo , aliàs suavif- ſimis reſonante concentibus , ac lœtantium jubilis atque ad- ſpectibus illuſtrato , mœſti nunc & defixi videantur vultus , ſubmiſſæ vocis audiantur murmuſa , triftes canantur næ- niæ : Veſtrūm nemo ignorat . ULRICUS HUBERUS , Jureconsuſtorum noſtri temporis omnium Judicio maxi- muſ , präcipuum Ordiniſ Profefſorii hujusque Academiæ decus ; Ornamentiſ Frifiæ Gentis ; ipſius quoque Eccleſiæ , quod rarum eſt de Jureconſuſto prädicari , lumen ; Florentiſſimæ denique Familiæ ſuæ colu- men ; Academiæ , Patriæ , Eccleſiæ , Familiæ ſuæ , acerbo atque inopinato fato eruptus eſt . Excessit enimverò in ipſo vitæ robore & vigore , ætati ingra- velſenti haſtenus probè conſtanſe ; in ipſis Anni Academici auſpiciis ; vacivâ Anteceſſoris ſtatione nondum ſuppletâ ; dum ipſe , ſummo flagrans deſiderio juvandæ Juventutis ſemulæ , in eo erat , ut ſummâ diligentiâ & duplicatiſ labo- ribus ad exemplum anni ſuperioris hunc defectum paſſaret . Quin immo exces- fit (advoſtite animum , Audd. , ad arcana Divinæ Providentiæ moderamina !) quando tantum non magnam voti ſui partem de dilectiſſimo Filio Zachariâ , meritiſſimo Viro , ad Juris Professionem vocato , adſecutus erat ; & antequam tamen ex illâ vocatione fructum partiendorum cum ipſo laborum , mente ver- biſque ſaepè präceptum , & ex fructu illo ſolidum gaudium , percipere potuit . Hujus Viri , quanti autem Viri ! funus ad iſum ſepulturæ locum frequentiore comitatu prosequuti ſumus . Hujus Viri Ampliſſimi exuvias modò terra mandavimus matri , ab illâ devorandas uſque ad glorioſam Christi Iefu apparitionem . O caſum verè luctuosum & intempeſtivum , ſi quis unquam aliàs huic Athenæo accidit ! O uberem luctus & lachrymarum materiam ! O vanas mortalium ſpes & instabiles rerum mundanarum vices ! Nullum mihi hic ad eſte ſcio Virum cor- datum , cui Patriæ & Academiæ ſalus curæ ſit ; nullum hujus Almæ Doctorem , nullum Civem ; nullum literarum & eruditioñis , nullum veritatis & pietatis cultorem , quem ex tam gravi vulnere dolor animi ac perturbatio non dejece- rit : immo nullum certus ſum mihi hic hominem adfore , ſi bellum non gerat

A 2

cum

cum humanitate, qui duro hoc atque inexspectato fato majorem in modum non afficeretur, modò *o Māngēirs* dignum Virtutibus meritisque suis Præconem inveniret. Et utinam sanè hoc saltem communi omnium dolori levamen accederet, ut hæc justa Defuncti manibus ritè persolverentur! Sed et si illud, Audd., de more Academiarum sit, ut qui publico in iis functi sunt docendi munere post excessum parentalii oratione celebrentur: quis tamen nostrum præsumat, se dotes laboreisque Amplissimi illius Viri, cuius excessum lugemus, cā sermone-niscopiam, gravitatem, & prudentiam prosequuturum, quam rara illius merita, spectatissima hæc concio, & plura quæ in rem præsentem veniuntalia, hoc temporis articulo exigunt? Ego equidem tam vividâ tangor conscientiâ tenuitatis ingenii mei meæque in dicendo infantia; & tam præclarè sentio de Eruditione & Virtutibus Defuncti, ut ad hoc officium pro dignitate Personæ & rerum aliarum merito præstandum me ineptum censeam. Ut HUBERUS per donum Divinæ mentis suprà cæterorum mortalium conditionem longè evectus fuit: sic nil parvum & humili modo, nil vulgare, aut, si cum Poëta loqui fas est, mortale, in illius funere dicendum. Quin ut Livius in Ciceronis laudes persequendas Cicerone laudatore opus fuisse scripsit; sic ego ad imaginem HUBERI condignâ oratione depingendam, ipso Huberi ingenio, ipso Huberi stylo, opus esse dixerim. Quis præterea à Theologo, præcellentissimi Ju-reconsulti eruditionem prædicatuero, aliud expectet, quam ut illius laudes ingenii atque orationis suæ culpâ deterat? Et si fortassis *o Māngēirs* ingenium, virtutes, & mores, per intemeratam non exigui temporis consuetudinem & non interruptum infucatae amicitiae commercium mihi clarius quam ulli Cll. Collegarum meorum alii perspecta detectaque sint, (quod non est, cur inficiet aut dissimilem:) ipsa tamen hæc jucundi illius commercii recordatio, nunc cum acerbi conjuncta sensu doloris, facit, ut hic magis hæream, quam quilibet Ordinis mei Virorum alias. Cum enim HUBERUS omnibus quidem flebilis occiderit, sed nulli ob arctam, quæ inter nos intercessit, amicitiam flebilius, quam mihi: quis miretur, mentem, si quis illi aliæ vigor insit, si quâ polleat acie, subitaneo hoc mœrore perculsam ac veluti obtusam, sibi vix constare ad amplam dicendorum materiam in ordinem digerendam, & digestam ornatis appetandam loquendi modis? Et si omnino ratio sibi quomodo conque constet in digerendâ, quâ spondeam constantiam animi in enunciandâ, & Linguam, refuscitato per orationem affectu, officium non negaturam? Quando tamen hæc justa parentandi, tum ob pervulgatum politiorum Gentium hujusque Athenæi morem, tum ob singularia Defuncti in rem literariam & hanc præcipue Academiam merita, ab aliquo Ordinis mei Viro facienda erant; & spectatissima *o Māngēirs* Familia, consentiente Senatu Academicō, hoc Legis & Humanitatis officium à me cum benevolâ sui affectus significatione expetiit; & præterea ipsa suadebat, imo jubebat pietas, ut Amicus Amico, Frisius Frisio, ultimum hoc amoris honorisque symbolum rogatus non negarem: hanc in me provinciam lubens volensque suscepit; sic mecum reputans, præstare, ut, de honoratissimi mei Amici Virtutibus qualitercunque dicendo & magna modis tenuando parvis, reverentiæ erga ejus manes & observantiæ, quâ ducor erga ejus

Fami-

## F U N E B R I S.

Familiam, ut par est, satisfaciam, quam ut, violatis pietatis honestatisque legibus, turpiter fileam. Nec dissimulabo, Audd. me partem quoque aliquam hujus meæ fiduciae in Vestri posuisse judicij æquitate. Cum enim alias à meæ professionis hominibus non foletis expectare orationes ad artem numerumque compositas; tum dabitis aliquid scio hoc in casu tam justissimo mœrorimeo, quam studiorum nostrorum diversitatí, ut si Theologus Jureconsulti merita meis non exæquem dictis, ad illum tamen modulum ea severè non sitis exacturi. Adeste igitur mihi ad clepsydræ hujus intervallum æquis animis auribusque: Tu in primis, Benigne Deus, præsta dicenti gratiam viresque necessarias, & quæ ab ipso mente concepta est dicendi materia, per Spiritum tuum converte in utilitatem atque salutem Auditorum.

Ortum Amplissimo Viro, ULRICO HUBERO, dedit hæc ipsa Frisia, in quâ sumus ac versamur; mea etiam, ob natalium communionem & Patriæ caritatem, Frisia; hoc tempore cultissimus ager, pratorum amoenitate & pecudum segetumque proventu cum optumis quibusque Orbis terrarum regionibus comparandus. Ut autem ingenia Populorum passim plurimum trahunt tam de coelesti aurâ, quâ vescuntur, quam de solo in quo eduntur, quippe quæ opinio à mundi ortu omnium fere Gentium firmata est consensu: sic nemo mihi miretur, velim, ipsam hanc Frisiā nostrā cum olim tum ab eo potissimum tempore, quo priore Evangelii luce illustrari cœpit, entriisse Gentem, quæ, probè exculta & asperioribus formata studiis, nobilitate indolis & præstantiâ munierum dotiumque naturæ nulli fortè ali politiori orbis terrarum populo cedat. Ne mihi, quæso, invidiam conflet oratio, Audd. quod Frisius hæc & majora alia de Frisiis prædicem. Ut enim mihi convenit de me modestè sentire, quod facio; sic nihil vetat meam de Gentis meæ ingenio existimationem, suo loco, occasione neutquam adfectatâ, prodere. Ex Tacito intellectis, Ornatussimi Juvenes, à Romanis olim in Frisiis agnitam celebratamque esse animi magnitudinem singularem, fortitudinem, & studium libertatis: quibus virtutibus ubi accedit moderamen exercitæ rationis, nihil impervium est. Sed cum Frisiis sèpè à Romanorum Præsidibus improbè exagitarentur, & indolis eorum ferocia interea nullo ingenii cultu mitesceret, nullâ subigeretur disciplinâ; non raro factum, ut solutis libidinis repagulis illa libertas ingenii in licentiam & feritatem degeneraverit. Quo tempore Carolus Martellus, & ejusdem tam Filius Pipinus, quam nepos Carolus ille verè Magnus, & Gloriosus Imperator, Frisiōs ad priorem Dei Cultum perducere laborabant: damnant Historiæ in Frisiis pravī vetusti tenacitatem, magnamque animi obstinationem ac pertinaciam. Nec tanto tamen jure, quantâ cum specie. Etiam si enim celebres illos Anglo-Saxones, Egbertum, Wilibrordum, Switbertum, imo ipsum quoque Winfridum sive Bonifacium cum Adventino, quicquid alii obtrectent, sincero pietatis studio Frisiis meis ad Christum convertendis incubuisse facilè admittam: non miror tamen magnoperè, (et si non excusem penitus:) Majores nostros in Christo cum tot fabulis & superstitionibus recipiendo, quot pura Evangelii veritas circa illa tempora adulterabatur, segniores fuisse. Et quid Frisiōs hic culpamus, cum Germani, cum Saxones, & quos Visurgis & Albis allunt Populi, hic Frisiis nihilo se præbuerint

rint faciliores; non tam fortè abhorrentes à jugo Christi , quam ab imperio Francorum Regum , quod libertati sūæ aduersum Septentrionales illi Populi per Novæ Religionis Sacra promoveri suspicabantur. Sed missa facio antiquiora illa secula , quorum non nisi mutilam habemus historiam. Tales amo Frisios meos , quales illos ipse hoc tempore in nobilioribus meæ Gentis Viris colo ; honesti justique studiosissimos , rationis & fani amicos judicii , sententiis animi constantes , magnanimos , fortes , verecundos , servire suprà modum atque adulari nescios , nec scientiarum artiumque præclararum non capaces . Dicere enim quid vetat , ex Frisiis nostris impatientiâ laboris magis quam inopiâ facultatis pauciores ad illam in literis gloriam pervenire , quam Zuichemi , Hopperi , Gellii , Gemmæ , Popmæ fratres , Tejaræ , Ratalleri , Schotani , Amamæ , Winsemii , aliique plures , ingenii excellentiâ industriâque tum sibi tum Universæ Gentis nostræ pepererunt . ut Groningano agro sua ornamenta , Rudolphum Agricolam , & Johannem Wesselum , & Gretano Ubbonen Emmium , præclarum Orientalis Frisiæ decus , relinquam . Quæ tamen in meæ honorem Gentis verecundè dicta ita à Vobis accipi nolim , Audd. ac si neceſſe admodum habuerim HUBERIANI commemorationem decoris à natali solo , illi non modò cum bonis , sed & malis multis communi , repetere , & quorundam Gentilium nostrorum singulare merita in ejus referre laudes . Verè enim HUBERO plus debet Frisia ob celebritatem eruditioñis & sapientie ejus , quam ipsa illi contulit per natales ; tantumque abest , ut ex aliòrum spoliis illi necunda sit corona , ut contrà Principes Gentis nostræ Viros ipse illustrare possit , & cum triariis , Zuichemo & Hoppero , comparari debeat . Sed utile ducebam animos vestros per hæc auspicia parare mihi conciliare , ut quæ mihi de Virtutibus hujus Viri dicenda sunt tanto æquius recipere tis ; tum etiam , ut si quæ ex merito in laudes ejus Vobis prædicare videar , ne indignaremini , hunc Virum aërem bibisse Frisiacum , quando eum cum tot aliis præclaris Viris communem habuit . In Frisiis autem hæc gloria debetur Docummo , quod HUBERO nutricem subministraverit , olim quidem mercaturâ & Amplissimi Senatus , cui summa rei maritimæ cura demandata est ; sede florenti . Nec indigna Documum hoc honore , Audd. si HUBERUM in Frisiâ nasci oporteret . Utique quo tempore Frisia nostra ferè tota immersa erat cimmeriis ignorantia atque idolatriæ paganæ tenebris , & Occidentales hujus Frisiæ nostræ incolæ Regibus propinquiores & addictiores salutarem Evangelii doctrinam superbè repelabant , Orientalis hic Frisiæ nostræ Tractus , ipse , inquam , hic Ager Documanus , portam reclusit Evangelio , & nuncios æternæ pacis talutisque per Christum obtinendæ , admisit . Hic Ager Bonifacium aliosque , sive jam Ecclesiæ sive Pontificum Romanorum Apostolos , excepit , qui hic doctrinâ , & miraculis quoque , ut fertur , claruerunt ; quin ipso sanguine veritatem prædicationis suæ obsignarunt . Tu nobis , Ager Documane , jam olim dedisti celeberrimum illum sanctissimumque Ludgerum , Gregorii Trajectensis Rhenani Episcopi discipulum , Virum admirandi in rem Christianum studii , qui doctrinam pietatemque suam tam Carolo Magno , quam Præceptoris sive Comiti ejus Alcuino , eruditissimo illius temporis Viro , singularem in modum probavit , &

Doc-

## F U N E B R I S.

7

Doccumanis suis convertendis non exiguam impedit operam. Imo Tibi debemus Gemmam Frisiæ decus, mathematum scientiâ suo tempore clarissimum; ne nunc alios memorem. Lumen ibi solis primò adspexit *o Margerens*, tertio Idus Martias, Anno Seculi xxxvi. honestis & se dignis ortus natalibus, qui si Patrem respiciatis ex Frisiis, si Avum, ex Helvetiis repetendi sunt. Patrem enim habuit Spectatissimum Virum, ZACHARIAM HUBER, Patronum cauſarum literatum & solerter, mox funeturum notabili Munere Dicaſterii Dongriæ Occidentalis à Secretis, & ex eādem illâ Dioceſi ad Amplissima Patriæ Comitia ſæpius Delegandum; ob dexteritatem prudentiamque suam magnâ apud Prætorem illius Præfecturæ, potentem illo tempore inter Patriæ meæ Proceres Virum, Nobilissimæ ſtripis, *Dominicum ab Aylua*, valentem gratiâ, & auctoritate apud alios. Mater illum utero exclusit SUFFRIDA JENSMA, ÆMILII JENSMA & JULIANÆ REEN Filia, Patriciæ utrinque in Gente noſtrâ Familiæ. Avus autem illi fuit, HENRICUS HUBER, Gente Tigurinus, occaſione Belli Hispano-Belgici in has delatus oras, qui ordines ducentis militares sub auspiciis Belgarum, virtutis ſuæ ſpecimina inter alios edidit in memorabili illo prælio Neoportensi Flandrico, in quo Belgicæ rei ſumma verfa eſt, commiſſio inter Mauritium Principem & Archiduces Belgii Hispanici Gubernatores, Albertum Austriacum & Isabellam, ultimo ſeculi superioris anno; deinceps Peditum Centurio meruit ſub Henrico Julio, Brunſvicensium Duce; unde rursus in Frisiā delatus ætatem ultrâ annos LXXX produxit. Sat is imaginum, ut opinor, Audd. Doctissimo Viro, qui abſque imaginibus ullis ſe Familiamque ſuam nobilitare poterat & illustrare. Parens Defuncti existimans, ut res eſt, ingenia per ſeveriores disciplinas caſtigari, & cupidinis pravij elementa animo eradi, ludo illum commiſſit literario, Documano primum, dein Leovardenſi, è quo miſſus in Academiam. In priore naſtus eſt Præceptores, Vigilantes Doctosque Viros, Wilhelmuſ Kiers & Johannem Vander Malen, hunc Ludi Documani Rectorem, illum Prorectorem: Leovardiæ Henricum Kolde, & Tobiam Guthberlethum, illum Gymnasiarcham, hunc Vicarium, ei poſt mortem in ſummâ Scholæ Recturâ ſuccedentem; quorum Virorum, præcipue Guthberlethi, cum doctrinâ tum vigilantiâ factum, ut Leovardenſe illud Gymnasium tum cum maxumè temporis floruerit, & foecundæ matris instar complures culti ingenii adolescentes ediderit. Primis autem pueritiæ annis iſum tardiorē ingenio viſum eſte, idque demum naturæ involucris explicari coepiſſe in Quartâ Claffe Leovardenſi, quis de magno hoc credi-diffet ingenio, niſi id ipſe HUBERUS in dupliči Commentario de Vitâ ſuâ, quorum alterum breviorem idiomate vernaculo ad hunc iſum Annum iſi fatalem perduxit, alterum prolixiorē Filio dictare cooperat, pueritiæ folum-modò & primorum Annorum Academicorum historiam complexum, ſcriptum reliquifſet. Nec tamen id in Defuncto noſtro miremini velim, tanquam quid adeo ſingulare & insolens, ut idem in aliis maximis Viris obſervatum non fit. Erasmus communis fama, per matres familias ad ſpem ſuam de pueris infelicitatis ingenii cum ſpecie ſuſtinendam diligenter propagata, fert primis pueritiæ annis tardiffimos in literis addiſcendis profectus feciſſe, idemque paſſim &

Doctis

## ORATIO

Doctis quoque creditum traditumque fuit, antequam Vir quidam ævi nostri  
 Eruditus, Erasmi Gloriæ studiosissimus, id solidis argumentis falsi convicerit.  
 Certius id fortè prædicatur de celeberrimo sectræ Scholasticæ Philosopho, Alber-  
 to, quem *Magni* deinceps nomine decorarunt, & egregio illo Hispano, Joan-  
 ne Ludovico Vives; et si quid vetat dicere tam hos quam alios, qui huc adduci po-  
 terant plures, non tam indolis, ut videtur, quæ semper eadem, quam regiminis  
 virtutio ingenium tardius explicasse. prorsus ut Clarissimo inter Græcos Oratori De-  
 mostheni accidisse, tradit Plutarchus. Difficile puerorum regimen esse Seneca  
 verè dixit, & quis non præter Senecam? Omnium mortalium mentes medici-  
 nā egent, sed pro indolis diversitate variâ, quæ nisi dextrè à Præceptoribus &  
 Pædagogis applicetur, non juvatur ingenium, sed corruptitur. Quare quan-  
 tum momentum situm sit in Præceptoribus & Pædagogis, si Magistratus  
 Urbium rectè semper intelligerent, majore advigilarent industriâ, ne ma-  
 los & ineptos, quod nunc sæpè fieri dolemus, ad hujusmodi munera geren-  
 da unquam admitterent, bonos benignius foverent & lautius honorarent. Fal-  
 lot, Audd. aut hæc aliæque rationes HUBERI ingenium in pueritiâ suppres-  
 serant, & veluti retuderunt. Nimirum, cum ipse in primis hæreret Latinæ  
 Linguae rudimentis & Parens ejus cum novâ dignitate Domicilii sedem muta-  
 ret, Ludimagistorum Documanorum subductus disciplinæ, Pædagogo paga-  
 no informandus datus est: mox iterum reductus Documum in contubernium  
 Rectoris; inde post sesquiannum à Rectore darius habitus Leovardiam missus:  
 per quas mutationes quis effectum esse miretur, ut ignea vis mentis suis cineribus  
 citius evoluta non fuerit? In Leovardensi autem Gymnasio, naturâ suos jam ape-  
 riente recessus, tantos quadriennii spatio profectus fecit, ut quinto decimo æta-  
 tis anno Latinæ Græcæque Linguae cognitione ritè instruëtus, Scholasticum  
 pulvrem excutere meruerit. In Græcis quantum jam tum profecerit, inde Vo-  
 biscum reputate, quod Græcum Novi Fœderis Instrumentum ad Libri apertu-  
 ram in Linguam Latinam expromptè converteret; & non modò in solutâ, sed  
 & ligatâ oratione Latinâ, quod sesquicentum Psalmos Davidicos, diverso sin-  
 gulos metri genere, proprio marte expresserit, viam in utroque studio præeun-  
 te Guthberletho. Miramini nunc, Audd. ingenii celeritatem, qui modò tar-  
 ditatem. Quotusquisque enim adolescentum, qui è disciplinâ Scholasticâ ad Aca-  
 demias mandantur, cum his paria faciat? Scilicet ut limpidæ fontis aquæ, re-  
 clusis meatibus, majore impetu foras prorumpunt; ut ignis, occultis delitescens  
 venis, per vim aliquandiu suppressus, flammæ subitè concipit majores; sic HU-  
 BERI ingenium, ex carceribus missum, quibus aliquandiu detentum fuerat,  
 concitatiore gradu properavit ad metam. Nectamen Prudentissimo Parenti con-  
 sultum videbatur, Filium, licet sublimiorum Institutionum jam capacem, ad  
 Academiam illico ablegare; quin potius illum per semestre integrum recoquen-  
 dum dedit Rev. Viro, Johanni Nisenero, Pastori Hallumano, quo tum Græ-  
 cæ Linguae cognitionem, subacto Hesiodo, notabilibus incrementis auxit, tum  
 novarum scientiarum, Dialecticæ nimirum & Hebrææ Linguae, fundamenta  
 jecit. Etsi eodem anno, quando non amplius erat in potestate Parentis vo-  
 ta Filii, ad altiora anhelantis, diutius morari, illum nomen suum inter Frane-  
     kerat

## F U N E B R I S.

Keranæ hujus Almæ Cives profiteri passus sit, quindecim tum annos & menses natum septem: rem Academicam moderante Cl. Viro, Bernhardo Fullenio, Mathematum Professore doctissimo, ejusdem illius Bernhardi Fullenii Parente, quem excellentem hac Scientiâ Virum, & conjunctissimum Collegam nostrum, Senatui Academico hoc ipso Anno Præsidentem contuemini, quo illius deploramus obitum. Advortite animum, obsecro, ad hunc Divinæ Providentiae lusum, sexcentis exemplis similibus ex Historiâ illustrandum, nisi nos clepsydra ad longè majora & graviora vocaret. Studiosum nunc graviorum disciplinarum habetis HUBERUM, Audd. sed verè Studiosum; non aleæ & crapulis, non otio, & quæ otium comitari solent, vitiis ac libidinibus indulgentem, sed assiduis laboribus & vigiliis in multam noctem ductis ad culmen illud summae eruditionis, quod illum tandem consecutum vidimus, contendenter. Sciebat o' Mængesim, Naturam nil tam altum constituisse, quo virtus, Deo juvante, non possit eniti: sed simul intelligebat, arduam illam, impeditam, paucis notam, paucioribus tritam esse viam, quæ ad Sapientiæ Sacrum dicit; ad quam quærrendam, magno studio; calcandam, circumspectione opus sit & constantiâ. Quare quod Cicero frequens laudare solebat dictum, Αὺν ἀεισένειν, καὶ οὐ πέπογχον ἔμμενεν διώσαι; HUBERUS noster in universâ vitæ ratione altè sibi inhærente demonstravit, nihilque reliquit intentatum, quo olim magnis major, maximis par esset. Primum studiorum Academicorum annum impendit Propaideuticis, Philosophiæ, Historiis, Linguisque Eruditorum, Latinæ, Græcæ, imo & Hebraicæ excblendis; et si hujus deinceps obgraviora studia Civilia, & rariorem in illis usum, minorem rationem habuerit. Philosophica ejus studia moderatus est Nicolaus Amama, Sixtini nostri celeberrimi Filius, cui, Philosophiæ Candidato, concessum erat Scholas aperire domesticas; vigente tum in Academiâ hac genere quodam Philosophiæ inter Aristotelicam & Cartesianam medio; cui tantum dein adjecisse, ipse scribit, quantum ad animi sui sententias comparare posset, alienus semper à longioribus & abstractioribus ejusdem (Cartesianæ) Philosophiæ meditationibus; in primis cum animadverteret, usum ejus doctrinæ in disciplinis, quæ res utiliter & populariter tractant, in quod omnis sapientia desinere debet, esse alienissimum. Quod ejus iudicium mihi equidem non multum distare videtur ab eo Sapientissimi Græcorum Socratis, quippe qui neglectis subtilioribus contemplationibus Metaphysicis, primus Græcorum illam docere coepit Philosophiam, quæ usum habet in commercio vitæ; quid bonum vel malum, quid factum oporteat nec ne, indagans. Γνῶθι δὲ, ait Laertius, τὴν φυσικὴν Θεωρίαν μηδὲν εἶναι πρός την ιδεάν, τὸ διάνα Φιλοσοφεῖν δέξεται. In Historiis publicè audivit docentem Cl. Virum, Dominicum Acronium, cum Linguæ Latinæ Græcæque vix ulla tum temporis Professibus haberentur Exercitia Domestica; five quod ipsi in obeundo hoc munere suo minus adsidui fuerint, five quod Studiosi, quorum scilicet multi vanâ de se præsumptione id se dudum consequitos esse opinantur, à quo quam longissime absunt, illa Exercitia tanquam inferiora ad pertinarentur. O' Mængesim tamen, tam suæ conscientiæ facultatis quam persuasus de summâ horum studiorum necessitate, quod ordinariâ hac negabatur viâ per aliam sectatus est, conjunctis studiis

B

## O R A T I O

diis suis cum tribus aliis optumæ spei rectique ingenii Juvenibus, *Abraham de Grau, Daniele Nisener, & Johanne Isenbergio*: quorum ille deinceps Mathematicum in hac Academiâ Professor claruit, cum Defuncto ad extremum vitæ conjunctissimus, hi Ecclesiæ dicati Ministerio Juvenes fatum impleverunt suum; Nisenerus quidem Hindopensis Ecclesiæ Pastor, Isenbergius autem ejusdem Muneris sacri Candidatus. Interpretabantur in illis Exercitiis Homerum cum reciprocâ censurâ, incredibili cum fructu; dum interea ipse privâ diligentia probatos Autores Latinos diurnâ nocturnaque manu versabat. Quando autem à Parente Juris studio destinatus erat idemque perpetuò in oculis gerebat, proximo abhinc anno illud cum iisdem hisce Linguarum & Historiæ Exercitiis conjungere cœpit, sequutus consilium, simul se tum committens disciplinæ Cellerim Antecessoris, Jacobi Wissembachii, ut & Collegæ ejus, Doctissimi Viri, Gulielmi Cup, quorum eruditio illo tempore à frequentissimo literatorum Juvenum cœtu, Franekeram undique confluentum, colebatur: à quorum (in primis Wissembachii) ore & judicio cum per biennium summâ usus diligentia pependisset, textu Justinianæ cum Græcâ Theophili Versione industriè comparato; simul disputando de gravissimis Juris materiis acumen doctrinamque suam omnibus probasset magnamque sui in futurum spem fecisset, Trajectum concessit ad Rhenum, motus celebritate nominis Eximii Jureconsulti, Antonii Matthæi; quem cum Pandectas explicantem audivisset ad Librum usque decimum nonum, fato sibi doluit erectum, reliquo anni illius Academicus spatio gravitus institutione Cl. Juris Antistitis, Cypriani Regneri. Tu tamen macte studiis illis tuis Trajectinis, Docte HUBERE, quando Tibi Deus ibidem majus destinavit bonum, quam quod secessare. Nostis, Audd. quotquot prorsus rudes non estis disciplinæ Evangelicæ, neminem admitti ad communionem bonorum Regni Dei; nulli in doctrinâ Christianâ spem fieri æternæ salutis per Christum impetratae, nisi renato in novum hominem per efficacem Spiritus S. gratiam. Nostis, atque utinam experti intelligeretis omnes! Spiritum Sanctum, magnum hoc gratiæ opus in peccatore molientem, cum vivo miseriæ sensu profundam in mente excitare humiliationem coram Domino; simul, ne tristitia in desperationem vertatur, animo exhibere infinitas Divine Gratiae opes in communione Dei per Christum repositas; tum porrò producere flammæ ardentiissimi amoris, quibus mens ad Deum in Christo fertur rapturque, & quâvis aurâ it velocior, cum constante & infucato sanctimoniac studio; atque ita tandem animam, quæ mundo, quæ cupiditati, quæ sibi addicta erat & serva, veluti prædam diaboli erectam laqueis, in suam transponere communionem, suæque & veræ vitæ, per Spiritum jugiter animandæ, participem facere. Etiam si verò HUBERUS puer & adolescens, moribus ornatus egregiis, hactenus se in regimine vitæ castè, modestè, temperanter composuisse: sèpè tamen mihi prædicavit o Mängertus ad laudem immensæ benignitatis Divinæ, idemque in Commentario Vitæ suæ cessâ notavit, hujus se beneficii Evangelici cum mirificis Divinæ gratiæ sensibus animique sui commotionibus, in solidum demum compotem evasisse sub exitum hujus, & in initiis Anni sequentis: idemque nos, in hac Civitatis Academicæ Panegyri, ad sum-

## F U N E B R I S.

ii

summam ejusdem illius Divinæ gratiæ laudem ut prædicaretur, consultum duximus. O rem verè admirandam! Jurisprudentiæ Studiosus illâ ætate, quâ arrogantia, luxuria, & libido regnum obtinent, externâ nullâ afflictus aut coercitus disciplinâ, à Deo intromittitur in intima penetralia suæ communionis, quibus Theologî multi excluduntur! Adeste mihi hic, Juvenes Nobilissimi, quotquot Juris studio consecrati estis. Discite ex hoc exemplo, quam sibi vera pietas, quam sibi Divina Gratia optumè cum his literis constet; utique scitote, cœlum nulli mortali, sive Jureconsulto, sive Theologo, recludi nisi per eandem hanc gratiam, quam qui hac in vitâ consequutus non fuerit, dira illum manet atque æterna nox, nullis radiis lucis interpuncta. Multa, quando in his erat *o Mungaeim*, apud me prædicare solebat in laudes cum aliorum Academiæ & Ecclesiæ Trajectinæ illius temporis notissimorum Luminum, tum in primis Divinorum Virorum, Lodesteynii & Bogarti, vigilantissimorum & fidorum illius Ecclesiæ Pastorum. Hi, quod multi nomine præferunt, re ipsâ præstabunt. Adsidui in eo erant & indefessi, ut necessitatem gratiæ, per fidei, resipiscientiæ, & sanctimoniarum viam obtainendæ, ad omnium mortalium conscientiam demonstrarent; magisque laborabant illud Regnum Antichristi destruere, quod prædominans in animis omnium hominum, quotquot per gratiam Spiritus renati non sunt, bellum gerit cum Regno Christi, quam quod in Papismi tyrannide ac fævitâ conspicuum est; quorum duorum concionandi generum illud homines ducit ad humilitatem & pœnitentiam, hoc illos plerumque inflat vanâ opinione & præsumptione sui, acsi tanto Pontificiis essent meliores, quanto verè non sunt, & nihil in ipsis vitii emendandum restaret. Vela contrahere jubeor, Audd. & cætera majore festinatione persequi. Trajecto in Frisiâ redux Defunctus denuò per integrum anni spatum operam dedit Wissembachio, cui ex omnibus suis Præceptoribus plurimum debuit. Inde jam Juris & Humaniorum literarum scientiâ longè supra ætatem subactus, intelligens, nihil æquè ad poliendum ingenium & instruendum judicium, modò facultas adsit, conferre ac peregrinationes, veniam à Parente impetravit florentissimas illo cum maxumè tempore Germaniæ Academias visitandi. Quare habitâ eodem istoc anno LVI. auspiciis Cl. Wissembachii Disputatione publicâ de *Actionibus bonæ fidei & stricti juris*, ne sine novo eruditio[n]is ac suorum in Jurisprudentiæ studio profectuum testimonio Patriæ valediceret Academiæ; Junio mense se Marpurgum contulit, Peregrinationis illius & studiorum sociis gavisus de Frisiæ Nobilitatis flore, egregiis Juvenibus, Idzardo à Douma, Laefio à Burmania, & Dominico Loo, splendidissimis deinceps muneribus in Patriæ commodum perfunctis; de Patriciis Groniganis, Lamberto Coehoorn, & Job. Sande; quibus accedebant Ornatisissimi Viri, Regnerus Hacktingius & Petrus Adriani, in magnam Ecclesiæ spem excrescentes; quos dudum omnes fatalis urget sopor. Marpurgi postquam trimestre spatum exegerat, Heidelbergam concessit; Heidelbergam, inquam, Germaniæ Paradisum, amænissimam Musarum sedem, Religionis nostræ nutricem; post pacem Germaniæ redditam Religiōni Musisque restitutam, & curâ prudentissimi Principis, Caroli Ludovici, tum temporis excellentium Virorum ingenii laboribusque illustrem, sed funesto hoc bello stupendo

B 2

do

## ORATIO

do Dei judicio & hostium furore penitus adeo subversam atque excisam, ut præscorum illius ornamentorum vix rudera ulla & monumenta supersint. Exulant inde Musæ, exulat Religio, quin imo ipsi exulant Cives; tristis ibi pavor, & horrenda imago mortis. Gradum ibi Docturæ in Jure capessivit *o Mængelius*, circa idem ferè tempus, quo, annum nunc agens vigesimum & primum, absens Historiarum & Eloquentiæ Professor in hac Academiâ designatus est, ad seriam commendationem cum Academicci Senatus, tum imprimis Ornatisissimorum illius Membrorum, *Schotani*, *Wissembachii*, & *Matthæi*, adhuc superstis. Unde quantum jam tum de ejus eruditione & aptitudine opinionem conceperint omnes, me tacente, facile intelligitis. Nec tamen illud præcipuum est, quod hoc in casu singulari equidem & notabili Vos admirari velim. Rariorum mihi illud ac majore admiratione dignum videtur, quod illâ ætate, quâ mortalium animi ambitione turgere solent atque arrogantiâ, tantâ fuerit modestiâ HUBERUS, ut Parenti in literis de Professione mentionem injicienti rescripsiterit, nec illam se spartam ambire, nec sibi ut conferatur commodum censere. Nempe quod Veteres rectè dixerunt; Αμαδία ψηφίσας, λογισμὸς δὲ ὄντων φέρει. Ut tamen fama gloriaque fugientem sequi & asequi solent, major habita est ratió meritorum quam modestiæ ejus: ut adeò honorificum hoc munus, cui Doctorum judicio par habebatur, in ipsum collatum sit, hac singulare adjectâ conditione, ut, si vellet, licitum illi foret tempus peregrinationis per semestre spatium protrahere: quam tamen Dominorum indulgentiam ita illum interpretari docuit Wissembachius, ut rem faceret sibi atque Academiæ utilissimam, si primâ quaque occasione se ex Germaniâ in Frisiâ ad spartam hanc suam exornandam reciperet. Defunctus noster hac usus est moderatione, ut tempus peregrinationis ad trimestre spatium contraxerit, Heidelbergâ se conferendo Argentoratum, liberam tum quidem illam & inter reliquas Germaniæ Urbes altè caput exerentem, sed nunc pariter gementem sub imperioso Galliarum Regis jugo. Instructus ibi est ad prudentiam & conspectiorem eruditio- nem per convictum & commercium Viri longè Celeberrimi, Joh. Henrici Boec- leri, cuius doctrina circa illam tempestatem universam illustrabat Germaniam. Unde in Frisiâ redux muneri demum suo inauguratus est Novembris mensis die ultimo: nempe ut hoc lumen eodem mense dici posset ortum, quo extin- ctum est. Doctorem nunc videtis HUBERUM, quem modò discipulum, nec Doctorem tamen, qui ad hoc institutionis munus inexercitatus accessit. Præ- luserat enim jam *o Mængelius* huic vitæ professioni, cui illum Divina destina- verat Providentia, per Institutiones familiares, quibus animi & honoris cau- sâ, absque ullo emolumento, peregrinationis suæ socios, tanquam Collegii il- lorum Præses, exercuerat.

Ego verò nescio, Audd. quis mea nunc membra insolitus corripiat motus, quando HUBERUM in hoc theatrum perduxì, in quo Personam suam tantâ cum laude ad ultimum usque vitæ halitum gessit, ut omnibus sui injecerit ad- mirationem. Imo verò quicquid de vigiliis, laboribus, affiditate ullius diligen- tissimi Professoris præsumere potestis, illud de HUBERO nostro multò adhuc velim cogitatis majus & amplius. Otium ille sanguine viperino vitavit cautius,

&amp;c

## F U N E B R I S.

13

& commoda Juventutis Academicæ tam incredibili promovit zelo, ut aliquando omnes diei horas à matutinâ sextâ ad vespertinam octavam (tolâ undecimâ prandii exceptâ;) privatis publicisque Exercitiis, sive Collegiis, quæ vocant, impenderit; cujusmodi raræ diligentiae exemplum an abullo unquam Professore in Academiis editum sit, haec tenus exploratum non habeo. Quo minus mirandum, tum Magnificos Academie Patres, quo currenti calcar &c ad majora animum adderent, Facultatem concessisse Jus privatim docendi, tum Collegas Professores liberis suffragiis Rectorem Academie creasse, anno ætatis ejus vi gesimo quarto; raro exemplo, ut rara in HUBERO omnia: quam dignitatem dein iterum tertioque geslit. Intensissimi tamen hi labores non prohibuerunt, quo minus de prole procreandâ cogitaverit, electâ sibi post exactum in munere primæ Professionis biennium vitæ Sociâ, Virgine ab ingenio, formâ, studio virtutis, & Familiâ, commendatissimâ; *Agnete Althusiâ*. Parens illi *Hermannus Althusen*, Cohortis Pedestrâ Embdæ Urbis Centurio, sive Capitanus; *Avus, Vir Illustris*, ut illum Emmius vocat Historiographorum nostræ Gentis celeberrimus, *Johannes Althusen*, qui primò Professionem Juris in Almâ Herbornensi, & Steinfurtensi, magnâ cum dignitate sustinuit, dein pari prudentiâ Reipublicæ Embdanæ à Consiliis fuit; ad Lugdunensem quoque Cathedram, sed frustrâ, invitatus; ejusdem Emmii judicio, *Doctrinâ, virtute, fine singulari, plane eximius, & ingenii sui monumentis æternum victurus*. Nec minor illi ab alterâ stirpe gloria. Quæ enim illam egregia ediderat Mater, Maria Felicitas Rumpf, Magni & ipsa fuit soboles Parentis; Expertissimi nimirum & Gravissimi Viri, Christiani Rumpf, Serenissimi Regis Bohæmiæ, Friderici Palatini, & Gloriose atque immortalis memorie Principum Arausiæ Fratrum, Mauriti ac Friderici Henrici, Architatri; Dominis hisce Patronisque suis carissimi. Quantum verò HUBERO nostro ex Professorio munere laboris, tantum ex hoc conjugio cepit voluptatis. Amabat & amabatur, quo nil natura dulcius habet. Deditque illi fœcunda mater duo pignora amoris, Zachariam & Hermannum: quorum *Hermannum*, Ordinibus Frisiae à Secretis & Senatu Urbis Leovardensis à Consiliis Juridicis, Amplissimum Spectatissimumque Vi rum, qui prudentiae virtutisque Parentis sui hæres, cum non minore suo honore & existimatione quam Frisiae nostræ commodo, publicæ rei invigilat, dolore affictum hic coram habetis; Zacharias, de cuius ingenii docilitate admiranda prædicantur, sexennis puer peste extinctus est; novoque rursus comprobavit documento Senecæ illud ad Marciam: *Ingenia, quod illustriora, eo breviora*. Sed ut in humanis solidum gaudium nullum æquabile & diuturnum est, sic placuit Arbitro Universi Deo felicis illius & raræ concordiae matrimonii vinculum solvere post tres annos & novem menses; à quo tempore ipse quoque Defunctus noster, et si nunquam muneri suo majore vacaverit industriâ, biennium integrum cum infirmâ valetudine conflictatus est. Verum, quod in naturalibus quandoque cum successu tentari dicitur: inde medicinam petiit, unde origo mali. Per labores, secundum præscriptum Plutarchi de Diætâ homini s Literati, dispellere studuit morbum, quem ex laboribus contraxerat. Nec defuit huic conatui Deus, qui laborantes amat juvatque; otiosos ut sui dissimil limos

B. 3.

limos, Hesiodo jam olim canente, odit. Illorum annorum vigiliis debemus eruditam Dissertationem de ætate Assyriorum, quâ adversus Ufferium Armanum, aliosque maximos nostri temporis Viros, de Originibus Imperii Assyriaci & Medici disputat: refutatâ sententiâ novâ, quæ Assyriorum Imperio in Oriente quingentos admodum annos dat, nixâ auctoritate Herodoti; adstrictrâ communî, quæ iisdem Assyris ante Medorum in Asiâ dominationem annos dat mille & trecentos, auctoritate Ctesiæ Cnidii, & qui illum sequuntur, Diodori Siculi, Justini, aliorumque. Perspicitis, Audd. ex hoc specimine primo ingenium *Γ. Μαρκείου*, quod deinceps in omni studiorum suorum ratione, in omnibus Scriptis suis, clarissimè expressit. Improbabat, si quisquam alias, communes receptasque in sacris atque civilibus sententias sæpè absque ullâ ratione justâ negligi, substitutis novis, quæ magis quod novæ, quam quod solidis subnixæ sint argumentis, placeant. **T A K O I N A K A I NΩΣ:** hoc est, communes sententias, quantum potest, conservari, sed novis muniri argumentis, novis illustrari observationibus, volebat; illa nova optuma statuens, quæ nihil novant. Sed verò diutius quam par est Vos in his HÜBERI primitiis describendis detineo, cum ipse multo citiore & celeriore gradu ad majora properaverit; Celeberrimo nempe Praeceptor & Collegæ suo Wilembachio, fato cedenti circa annum Seculi Sexagesimum quintum, datus Successor, & Juri dehinc totus addictus, ad quod profitendum animus maximè propendebat.

Hactenus fortè utcunque Personam meam sustinui, Audd. Spectatissimi, quando de rebus captui meo accommodatis verba feci. Sed utinam eam nunc vel ad momentum mutare possem, vel dicendi hanc provinciam alii committere, quando mihi diligentæ & laborum HÜBERI *Jureconsulti*, cuius disciplinæ me juxta cum ignarissimis ignarum profiteor, rationem reddere convenit. Pretium enim Jureconsulto qui statuam Theologus? Labores ejus qui recensebo, quorum plerorumque argumenta à me non intelliguntur? Magis tamen hic hærem, Audd. si de ignoto apud Vos homine & obscurò differerem Auctore. Sed nunc, cum de HÜBERO differam, omnium & communis de Ampliss. Viro existimatio mihi quodammodo succurrit. Nullus, opinor, nostri temporis homo negat, Defunctum nostrum per eandum illam diligentiam assiduitatemque, quam modò prædicabamus, hoc est stupendam & fide majorem, junctam cum summâ mentis solertiâ, tantam sibi in Jure antiquo novoque comparasse scientiam, ad tantam pervenisse celebritatem famæ, ut non inter maximos, sed maximus ipse nostri temporis Jureconsultus habitus cultusque sit: in quo communi judicio Doctorum & indoctorum, cum nihil eo majus & excellentius quod ad hanc rem à me prædicari possit in HÜBERI laudem, facilè patimenti ut acquiescam. Faciam solummodò, ut ne labores, quos per hos undetriginta annos in Doctissimis Scriptis elucubrandis posuit, & honores, qui illos continuò interceperunt, à Vobis ignorentur. Primi quidem Juridicæ Professioannis annis magnâ curâ elaboravit in Disputationibus Juris Fundamentalibus, per modum amplissimi Commentarii ad Institutiones & fere in locis parallelis etiam ad Pandectas Justinianæas, quibus tum materias Juris cujusque Rubricæ Justinianææ solidè pertractavit, tum in disquisitiones amæiores, ad Humaniora Juris

Juris illustranda comparatas, digressus est. Quod opus licet eximum & à Prudentiæ Civilis consultis avidissimè exceptum, Defunctus noster tamen non perduxit nisi ad tertium Justinianæarum Institutionum Librum, sumpto consilio illas suas curas in duas distribuendi partes, quarum altera merè Juridica, altera sola completeretur Humaniora. Illa sub Prælectionum Juris Romani & Hodieñi; hæc sub Digressionum Justinianæarum titulo deinceps lucem adspexit; eruditissima opera, verè latura ætatem, & famam Huberiani nominis ad seram propagatura posteritatem. Iisdem hisce primis Juridicæ Professionis annis emisit Dissertationem de *Liberationibus*, ad elucidandam Doctrinam Evangelicam de Satisfactione Christi, Doctis quibusdam Pannoniis, id ab ipso efflagitantibus, dictatam, quæ plausum meruit Eruditorum, &c, quod mihi constat, HUBERO nostro singularem existimationem atque affectum Celeberrimorum quorundam Theologorum conciliavit; quin & ad majores honores aditum struxit. Honorum illorum repetendus est ordo ab anno seculi LXX, quo primum ad Jus in Academiâ Belgii nôstri primariâ, Lugduno Batavâ, docendum, honorificis conditionibus invitatus est: quam nihilo minus vocationem gravissimis de causis recusavit, certum habens secumque statuens Patriæ suæ, Almæ Eruditionis atque industriæ nutrici, se non subducere, sed ad mortem usque, quod fecit, inservire. Quo generoso consilio Illustres Patriæ atque Academiæ Proceres usque adeo sibi devinxit, ut illum maestaverint titulo Professoris Juris Primarii; simul illi detulerint Professionem Juris Publici, cum spe-*Etabili* honorarii annui auctario. Sic suos virtus, sic eruditio beant cultoris, dum mali pigrique sibi obstant ipsis. Vos tamen, Audd. ex hoc colligite specimine, quantam sibi HUBERUS noster jam tum pepererit celebritatem nominis, quod Prudentissimi Patres Almæ Lugdunensis illum tantum non triginta & quatuor annos natum, ambiverint: Magis tamen inde, quod hac repulsa non deterriti eandem hanc vocationem iterum tertioque repetierint, amplissimis identidem pro Viri merito & rei Academicæ momento oblatis conditionibus. Sed quanto Batavi magis ut illum haberent allaborabant, tanto id Frisiæ egerunt magis ut retinerent, novis excogitatis præmiis & honoribus, quibus illum sibi obstrinrent. Cujus generis primum fuit, quod favore Celsissimi Nassaviæ Principis Casimiri, cuius ut magna est animi generositas sic infinita extant in literatos merita, ab Academiâ in Supremam Frisiæ Curiam Juridicam, quæ dignitas mea in Patriâ in honorificentissimis censemur, evectus fit. Alterum, quod idem ille Celsissimus Princeps & Proceres illum, post triennium illâ in dignitate summâ cum laude & fructu exactum, ex Curiâ denud transtulerint in Academiam, ut ibidem ad exemplum summorum in Athenæo Lugduno-Batavo Virorum, (*Exsenatoris* tamen Titulo & nomine,) à Publicis Lectionum Exercitiis liber, honoris caussâ ageret, consulentibus de Jure responderet, idque commendo Publico doctissimis Scriptis pro virili illustrare pergeret, decreto illi anno bis mille Carolinorum & primo in Senatu à Rectore loco; simul Primogenito Filio Hermanno promoto ad spectatissimam dignitatem Ordinum à Secretis, merita tamen dotesque Viri non excedentem. Sic demum Eruditioni, sic virtuti suum statutum est pretium. Certè etsi Princeps Casimirus, etsi Proceres

Pa-

## O R A T I O

Patriæ meæ multa in commodum Reipublicæ præclarè & laudabiliter egerint: nescio tamen quid magis unquam fecerint se dignum, quodque majore plausu à cordatis omnibus exceptum sit. A studiis literarum, si Domini mei rem secum rectè reputare velint, dependet salus & decus Gentis; studia autem honoribus præmiisque aluntur & accenduntur: quæ si absint, frigent. Nolim tamen, Auditores, nolim, Juvenes, quotquot hic adestis, ut oculi Vestri his fulgoribus honorum nimis præstringantur. Credite mihi, multo difficilius est magnis honoribus dignum se paremque præstare, quam ad illos qualicunque viâ pervenire: ut famam tueri difficilius quam acquirere; et si imperitoribus rerum fortè secus videatur. Et nescio sanè cuius fuisset tantos honores laboribus compensare paribus, quam HUBERI. Utique quis secum absque admiratione repeatat, quot à primâ vocatione Lugdunensi ad fatalem vitæ horam eruditissima elucubraverit Scripta, præter Exercitia domestica, per maximam solidi diei partem trahenda? Videntur omnino mihi animi ejus ab eo potissimum tempore creuisse, ac si tum demum rectè intelligere cœpisset, si ad magna natum esse. Annus secu*li* Septuagesimus Secundus primum dedit specimen de *Jure Civitatis*, novâ ratione & exemplo laudabili exhibens puram & solidam Juris Publici doctrinam à *Politica* penitus distinctam; deinceps bis recusum, magnisque locupletatum accessionibus, in primis ut hoc ipso Anno fatali eleganter exiit in lucem. Biennio post prodierunt *Digressiones in Humaniora Juris*, quarum argumentum in superioribus circumscripsimus, denuo subiectæ typis, alteraque parte, ut & *Dialogo de Ratione docendi descendique Juris*, auctiores; nunc ferè ante septennium evulgatae. Altero post biennio natus est elegans *Tractatus Juridicus*, speciali mandato Nobilissimæ Familiæ Camminganæ conscriptus, quo tuetur ejusdem Illustris Familiæ jus Hæreditarium in Amelandiam, è regione Litoris Frisici sitam insulam, contrà illos, qui Jure Feudi Cesarei dependentis ab Imperio Germanico hanc insulam aggredi & occupare conabantur. Annus LXXVIII protulit *Prælectionum ad Institutiones Justinianæas* Tomum primum, unâ cum *Positionibus ad Institutiones & Pandectas*, quarum hæ deinceps iterum tertioque typis descriptæ. Annus LXXXII, quo Defuncto nostro nova apud Academiam otia facta sunt, dedit nobis *Auspicia Domestica*, hoc est, cum Orationes elegantes tum Collationes eruditas, quibus Ampliss. Exsenator Scholas suas Academicas denuò aperuit: præter *Vindicias Juris Amelandici*, quibus denuò antiquam hujus insulæ Libertatem, Romanâ nunc linguâ, adseruit, quod ipsi negotii dederant Generosissimæ Barones Swartschenburgicæ, novissimi Amelandiæ Domini Hæredes. Quæ post biennii interstitium exceptit *Jurisprudentia Frisica*, vernaculo idiomate complexa Jus Frisicum cum Romano collatum, & exemplis Fori hodierni illustratum: idque post alterius biennii intervallum Opus majus, quod *Jurisprudentia Hodierna* inscriptum duobus tomis majore formâ in lucem exiit; æterni usus, cum nullo illius generis alio comparandum: fructus vigiliarum & observationum illius triennii, quod apud Curiam egit Leovardensem. Sequens Annus præter repetitam *Digressionum* Editionem novam dedit tercioremque Editionem *Prælectionum ad Institutiones*, cum duobus aliis tomis *Prælectionum*

ad

## F U N E B R I S.

17

ad Pandectas, qui Commentarii instar in omnes Pandectarum Libros Juris disciplinam totam illustrant. Aures Vestrae mihi jam gravari videntur, Audd. nec pluribus capiendis esse. Vos nempe citius fatigamini titulis Librorum compositorum commodo vestro excipiendis, quam *Margem*, in illis elaborandis. Ergo ne patientiae Vestrae pluribus molestus sim, habete brevibus, Anno LXXXVIII emissum esse Tractatum de *Fæderibus & Testamentis*, quo nobilissimas illas materias, in quibus Evangelicæ Doctrinæ cardo vertitur, ex Juris disciplinâ illustrare laboravit: Post lapsum autem inde quadriennium Tomos tres, quibus Universam *Historiam Civilēm à Mundo condito usque ad hujus seculi medium summo descriptis judicio. Quibus nunc tandem omnibus accedit vastum illud Opus Disputationum Eunomicarum*, cui immortuus est, ad Legum Romanarum auctoritatem rationalitatemque à Doctorum censuris aut cavillis vindicandam, comparatum, quarum Ille anno superiore inauditâ usus diligentia dederat triginta; acsi jam tum præfensisset, ob instans datum solito sibi magis festinandum esse. Quos jam Libros plerosque si ex communi famâ & Doctorum judiciis intellecteritis elegantiore stylo, quæsito rerum delectu, & magnâ arte atque eruditione elaboratos: quis Vestrum mecum hoc diligenter exemplum non stupeat, & hunc demum non judicet Virum tot dignum honoribus, qui tantâ aliis maiore fuit capacitate mentis, & tanto cæteris plus tulit laborum? Imo magis miremini, si ex me intellecteritis, hæc Opera non tantum ab ipso esse edita inter frequentissimas Institutiones Domesticas, quæ magnam sibi solidi diei vindicarunt partem, & inter Consilia Juridica, sive ore sive scripto exponenda, ob quæ frequens adibatur, aliaque majoris momenti negotia Civilia, ad quæ feliciter terminanda prudentia ejus requirebatur; sed & inter quotidianas Filiorum imo totius Familiæ ejus institutiones, quibus statim diei horis vacavit. Florentissima nimirum illi proles ex secundis nuptiis, ad quas post habendas luctui per quinquennium à dissoluto priore matrimonio laxatas animum adjecerat; dispensata sibi Virgine electæ formæ, probatæ indolis, virtutisque ad rem familiarrem singularis, generis denique & Familiæ iater nos honestæ admodum & Conspicuæ, *Juditha vander Ley*, cui pater Spectatissimus Vir, *Georgius vander Ley*, Solertia ingenii & Judicii exacti Jureconsultus, qui secundâ existimatione multaque cum laude causas primò oravit apud Suprematum Batavorum tum Frisorum Curiam, deinde Doecezi Danthumadeelanæ à Secretis fuit; cuius pater *Johannes vander Ley*, Mathematicus insignis, sedulam navavit operam, ut artis suæ peritiæ rem nauticam & navigationem maritimam promoveret; quem ejus laborem atque industriam eximiâ prosecuti liberalitate Foederati Belgii Ordines, ipsi decreverunt honorarium annum mille ducentorum Carolinorum, quoad in rebus humanis supereret, eodem privilegio in liberos illius atque nepotes propagato: Avus, *Henricus vander Ley*, eâ inter Cives suos dignitate floruit superiore seculo, ut juxta cum aliis Frisiae nostræ Proceribus delegatus fuerit ad Celeberrimum illum Conventum Trajectinum ad Rhenum, Foederique inter Belgii Civitates Liberas ibidem pacto, quo adhuc dum stat Belgii Liberi Respublica, subscriferit: fidem quoque hujus rei in Historiâ Frisicâ faciente *Wensemio*. Hanc ille Matronam, decore & virtute ornatissimam, nuper admodum asperum eluctatam morbum ipse nunc tristifato prævenit,

C

nit,

## ORATIO

nit, & moestissimam post se reliquit viduam, frustrà lachrymis & gemitibus amantissimi mariti sui umbram, dum ipsum corpus abest, insequentem. Quod Matrimonium ut floruit Conjugum concordiâ & mutuis amoribus, sic, ut dixi, beatum fuit divite prole, & longâ serie benedictionum, quibus illud Deus singulari suâ Providentiâ prosequutus est. Ex liberis superstites sunt Filii tres, *Zacharias*, Juris Utriusque Doctor, & ad ejusdem Facultatis Extraordinariam nuper, modò Ordinariam Professionem, magnâ Illustrium Academiæ Procerum generositate vocatus; Vir Doctissimus & hoc munere dignissimus, nostra nunc potissimum & pubis Academicæ spes: *Georgius*, ejusdem Scientiæ studiosus Cultor, qui se nuper luculentis profectuum speciminibus non degenerem probavit Parentis sui Filium; & *Renatus*, blandus puer rectæque indolis, atque omnia de se præclara promittens, tanti doloris, quanti ille cauñas præ cæteris majores habet, nondum per ætatem capax. Filiæ tres, *Suffrida*, *Agnes*, *Titia*, non modò corporis decore, sed & animi bonis donisque rarís ingenio, pietate, virtute, modestiâ, excellentes; Liberi omnes, per disciplinam Prudentissimi Parentis ad magna instructi, tanto Parente dignissimi, ejusque Virtutum æmuli, absque ullâ, quod rarissimum, Familiæ maculâ. Filios quidem suos doctrinarum capaces Latinae Græcæque Linguae Præceptis instruxit ipse & exercuit: & de cætero nullus illi dies sano præterlabebatur, quin, si domi ad esset, horis matutinis, tum precibus solennibus, tum etiam lectione & expositione insignioris cuiusdam partis Scripturæ Sacrae, domesticis suis omnibus ad fidei virtutisque studium præiret; neque illud temerè, licet mole negotiorum obrutus, neglexit, imo procul omnes abesse jussit, qui ipsum Divino hoc in opere morabantur. O exemplum Jureconsulti, cujusmodi pauca in mundo extant! Qualis tu fuisti, HUBERE, quales nos esse convenit? Quot non tu Jureconsultos, imo quot non confundis Theologos? Cum his nunc compari velim singulare Personæ ejus decus, & summam, quæ in vultu, moribus, dictis, conspicua fuit, gravitatem. In privo commercio de aliis raro sermones serebat quam de seriis, sive de Sacris & Politicis, sive de animi sui statu atque regimine; nunquam certè, de quibusunque etiam differeret rebus, nisi serio & graviter. Parcus illi risus, infrequens cachinnus. Adulatorem non ferebat, prohibebat gravitas adulari aliis. Quanta illi gratia & dicendi vis, modò ad dicendum serio animum applicaret; quanta animi in dicendo præsentia, omnes Vos nostis, Audd. quotquot illum vel in Senatu Collegæ variis occasionibus dicentem, vel in Auditoriis docentem audivistis discipuli. Magna illi promptitudo ingenii in inveniendis rerum argumentis; magna animi capacitas in digerendis, magna memoriæ tenacitas in reservandis & expromendis: quomo do ego illum duas Orationes (alteram de *Pædazismo*, majore cum gratiâ & libertate, quam ab ullo unquam Ordinis nostri Viro:) absque ullo memoriæ subsidio recitantem audivi. In docendo planus & clarus, nullâ usus circumloquitione; in disputando ob summam mentis solertiam & perspicaciam felicissimus. Declamatiunculas in Senatu Promotionum tempore habendas, casibus subinde inexspectatis, raro meditabatur ante instans celebrandæ illius solemnitatis tempus; nec aberant tamen varietas & cultus. Nullo casu, licet insolentio-

tiore & majoris contemplationis, quales novissimis hisce annis plures accide-  
runt injucundi, facile percellebatur, sed æquam semper in rebus arduis serua-  
bat mentem. In primis in familiari consuetudine Socratis madebat sermoni-  
bus, & admirari solitus fui acre illius de rebus quibusvis sacris & civilibus ju-  
dicium, per quod ex præsentibus & præteritis futura Vatis instar certò augura-  
batur. Cum enim Historiam omnis temporis, non recentiorem minus quam  
antiquam, animo suo complecteretur, & res mundanæ ferè iisdem semper vol-  
vantur rotis: facile illi fuit, quâ fuit acrimonî judicij, præsentium & præte-  
riorum institutâ comparatione, rerum eventus, non nimis ab humanâ per-  
ceptione remotos, discernere & præfigere. Tandem etiam hoc addam, in vi-  
etu nullum quæsivisse delectum, sed gulæ irritamenta æquè ac commoditates  
vitæ, non nimis necessarias, adspersatum esse; & scientem Terrulliani illud;  
Libidinem & luxuriam ventris castigatione frigescere: passim vigiliis, & non  
raro jejunis, libidinem prævenire, vel extinxisse. Quæ singula & universa de-  
cuss illi & existimationem apud omnium Ordinum homines, Literatos imprimis  
& Juris tam Divini quam Humani peritos, conciliarunt maximam. In Acadé-  
mia quidem magnus semper ad eum fuit concursus non nostræ tantum gentis Juve-  
num, Frisiorum & Belgarum, sed Exterorum quoque, quos nominis atque  
eruditionis ipsius celebritas ex Germaniâ, Sarmatiâ, Angliâ, & Scottiâ, allicie-  
bat. Qui hac tempestate Rempublicam aut Curias Juridicas in Patriâ nostrâ  
regunt, cauissisque apud eas patrocinantur, quos inter multi sanè sunt egregii  
& præclarí Viri, maximam partem omnes Civilis sapientiæ Præcepta ex casto  
& docto ejus ore hauserunt. In Foris autem Curiisque Septem Foederatarum  
Civitatum Belgicarum tanta fuit Huberianî Nominis auctoritas, & peritiæ pru-  
dentiaeque ejus existimatio, ut Caussarum Defensores ad scripta judiciaque HU-  
BERI nostri in dubiis implicitisque casibus dudum instituerint provocare, eum  
que inter clarissima Cujacii, Donelli, Vinnii, Gothofredi, Wilembachii, no-  
mina omni die appellare, quem honorem paucissimis Jurisconsultis ante Fatum  
suum obtингere, (quando nimirum, presâ invidiâ, Magnorum Virorum me-  
rita æquiore judicio ponderari solent:) non semel ex alis intelligere meminit.  
Quod si alio etiam argumento firmari opus sit: dabo Vobis singulare illud &  
verè notabile, quod quater per vitam suam tam in hac quam in vicinis Belgii Civi-  
tatis extra ordinem delectus fuerit Judex ad momentosarum caussarum lites  
à judicio ordinario Supremi Senatus terminatas revidendas, quod ajunt; hoc  
est, caussam novo liberoque examine instituendâ cognoscendam, & sententiâ ul-  
timâ dirimendam. Estque illud sanè huic rei affine, licet alterius ordinis generis,  
quod Ecclesia Franekerana pietatis prudentiaeque ipsius eam rationem habuerit ut  
illum cooptaverit in venerandum Presbyterium: quo pariter munere per statu-  
tum quadriennii tempus decorâ gravitate functus est. Tantus hic Vir fuit, Audd.  
tantique ingenii & decoris, cuius excessum hoc tempore suspiriis, luctu, &  
lachrymis nostris, amarè prosequimur. Neque adeo publicas vitae ejus rationes  
nunc cum maximè in summam colligere coactus in iis quicquam offendit, quod  
alicui videri possit cum tantâ Personæ gravitate dignitateque, & tot virtutibus  
non tam probè constare, quam quod novissimis hisce annis, quibus apud Aca-  
de-

demiam egit, se cum Clarissimis quibusdam illius Doctoribus de variis materiis disputando commiserit. in primis quidem de Uso Rationis in *adstruenda summâ Divini Verbi auctoritate*, & de *Prætorio Paulino*. Nam quod ad alteram illam attinet disputationem de sensu Authenticæ *Habita*, (quod salvo honore meritisque Cl. Antecessoris, qui adversas in illis *ἀποβάσιοις*; partes sustinuit, dictum sit:) novi ego, &, vel plurimum fallor, vel Deus novit, cui omnia patent arcana, HUBERUM ad illam invitum obtortoque collo raptum esse. De quo quando mihi prorsus filere nefas est, Audd. id quidem Vos primum Vobiscum ut reputetis *velim*, me, quando de Virtutibus meritisque Amplissimi illius Viri haec tenus apud Vos differui, pro virili equidem & animi mei conscientiâ, de homine tamen loquutum esse mortali, non de Angelo. Quare si Defunctus noster in his quoque Disputationibus vel affectui aliquid dedisset, vel nimio abreptus æstu, ut magna ingenia solent, adversarios non eâ semper moderatione animi accepisset, quam Christianæ disciplinæ rigor exigit, (quod tamen ipsum quantum est suo nunc relinquo loco:) quis id et si non probet, magnopere tamen miretur? Quotusquisque enim Magnorum Virorum, quibus ingenium severius & acrius, ut Magni quoque Viri suos patiuntur manes, eodem hoc vitio non laboravit? Est tamen hic aliud, Audd. quo Vobis absque ullâ alterius famæ obtricatione, vel arbitrio illarum controversiarum mihi vindicato, satisfacere possim. Sententiam de Divinitate Scripturæ Sacræ ex Testimonia Spiritus S. cognoscendâ, quam ex *Calvino* imbiberauit, persuasum sibi habebat nullo modo conciliari posse cum adversâ illâ, quâ Divinitas Verbi Dei non nisi ex Ratione demonstrabilis fertur, quin imo hoc assertum posterius illam manifestò convellere & destruere Gratiam quâ Deus hominem vitiosum & miserum ad imaginem suam instauraturus fidem veritatis obsignat in animis Credentium, cujusque vim & fructum ipse variis casibus expertus erat. Cujus gratiæ virtutem cum à Juvene Philosopho ignorari, & alias etiam per ratiocinii humani frequentiorem commendationem, quam in Christianismo fieri par est, obscurari putaret, hoc se existimavit illius gratiæ gloriæ debere ut illius vindicias in publico susciperet. Quam itaque disputationem quin animo recto, Divinæ studio gloriæ, ingressus fit, haec tenus nunquam dubitavi; et si de disputationis ipsius momento verecundia in præsentiarum pluribus agere vetet. Porro in exequendis disputationibus pro gloria Dei suscepit eadem HUBERI ratio quæ Calvini, cuius instituta moresque vehementer probabat. Cum in aliis laudem habeat *ε μηδὲν ἄγαν*: in iis quæ pro Divinâ aguntur gloriâ non pigrè & frigidè sed strenuè procedendum esse arbitrabatur, impedimentis, si quæ in viâ occurrant, & res aliter confici non possit, vi remotis. Quod judicium si quandoque *ο Μακρωτάτης* singularibus quibusdam casibus cum Præstantissimis seculi superioris Viris nimis validè applicaverit: (quod rursus meum non est arbitrari:) absit tamen ut propterea vel existimatio de illius meritis apud nos vilesceret, vel pietatem ejus suspectam haberemus. Imo vero, quæ singulares Defuncto rationes fuerint, causam illam tanto cum fervore, &, quo vidimus, modo, persequendi, ex ipsis ejus scriptis æquâ ponderent men-

## F U N E B R I S.

21

te rerum Arbitri; & suum quidem judicium habeant sibi, sed summum de hisce controversiis judicium Deo reservent. De Prætorianâ autem controversiâ, quam inter ipsum & Celeberrimum quandam Doctissimumque Virum, Academiæ pariter nostræ tum temporis Ornamentum, magnâ utrinque & pertinaci animorum contentione hic loci novissimis hisce annis agitatam serio doluimus, sic existimo; Amplissimum HUBERUM, observationem Perizonianam censurâ notantem, non præcepisse mente, parvam illam scintillam tantum excitaturam esse incendium. Et cum neque mihi conveniat neque hujus etiam sit loci definire, an illic humanitatis, hic honoris & observantiæ debitæ Leges probè observatæ sint, de quo invicem multis expostularunt; neque etiam forte tam accuratè definiri possit, quis ignis occultus tantam flammatam concitaverit, quis aluerit: potius est ut deploremus mortalium miseram fortē, ipsis fato quodam veluti destinatam, quod, cum in mutuam conspirare possent & deberent felicitatem, nunc iis se ultrò privent bonis pacis & concordiæ, in quibus felicitatis humanæ pars consistit maxima. *Dii Jovis in testis*, ut ille ait, *miserantur mortalibus tantos esse labores*. Date igitur Audd. hicaliquid humanæ imbecillitati, quâ parte labes Vobis hærere visa fuerit, & cogitate quod verum est, dum lis ex lite se-rebatur, & neutra pars alteri cedere statutum habebat, casu potius quam consilio factum esse ut hæ literariæ contentiones flammatam ipsarum Partium Adversarum opinione adversus Amicorum vota latius sparserint: quæ tamen res tam non est nova in Republicâ literatorum, ut contrâ satis constet à quo tempore renata sunt in Europâ liberalium doctrinarum studia, non paucos exitisse eruditio-ne Clarissimos homines, qui in ejusdem generis conflictibus styli acrimoniam exercuerint vel experti sint, si ita res casusque ferrent.

Protraherem longius meam hanc Orationem, Audd. nec deesset dicendi materia, nisi scirem evitare me prorsus non posse, quin de eo dicam, de quo maximè dicere reformido, hoc est, de ultimo Amplissimi Viri, meique Amici honoratissimi, fato, quod illum tum hisce subduxit litibus, tum longas ejus de maximis Operibus spes præcidit. Scilicet etsi immortale sibi in terris per labores nomen pepererit HUBERUS, terrestrem tamen hanc vitam eo immortalem reddere non potuit. Imo quis dubitet, quin Defunctus infinitis illis occupationibus laboribusque suis, quibus sibi immortalitatem comparavit, mortalitatis fatum acceleraverit? Initium mali à quartanâ febri, cuius primum impetum post novissimas Caniculares ferias sensit, in ingravescente ætate gravioris ut plurimum prælagâ tempestatis, quam tamen valentis naturæ robore & interveniente accurato vitæ instituto superasse visus est. Fruebatur enim cæteroquin Defunctus valetudine ad speciem satis prosperâ & constante, neque haec tenus ulli senectutis vitio succubuerat. Sed post debellatam quartanam, gravioris mali ferocia se manifestavit (judicium hic sequor Celeberrimi Viri, Philippi Matthæi, Medicinæ Professoris apud nos Honorarii, Amici admodum colendi:) Humor acris stag-nans intra pulmones latentem ibi vomicam produxerat, quæ tandem recru-descente asperrimâ tussi rupta gravem circa primos morbi dies & præcipitem virium evolutionem introduxit, continuo exardescente ardore febrili, factâ que fecessione colluviei purulentæ per vias urinarias, & continuâ ejectione

C 3

a. spu-

## ORATIO

„sputi purulenti sanguine tinti, accidente crebriore solutione alvinâ turbata-  
„que sensuum integritate. Magna mala, Audd. certaque instantis fati prænun-  
cia, in quibus tamen nullum molestius, quam quod magno huic ingenio vires  
suas in extremis explicare suæque vim fidei demonstrare datum non sit. Etsi re-  
mittentibus subinde ardoribus febrilibus, ubi integer ipsi erat rationis usus, quid  
animo agitaret volveretque, satis proddiderit. Preces enim, quandiu mens ab  
æstu febrili conturbata non est, ac vires ipsi constabant, ad Deum fudit arden-  
tissimas, & fusas, à se prædicabat intellectas. *Nostis*, (sic inter alia os pium  
prædominante ratione:) *Domestici mei, quid mibi in universâ vitæ meæ ratio-*  
*ne maximè curæ & cordi fuerit: id ipsum nunc sector, Jesum quæro, mortem*  
*non reformido. Aliás & hoc ab ipso exceptum est; Sapientiam humanam nimis*  
*miseri cum sapientiâ Divinâ; &, Theologos à se invicem in multis dissentire, sed*  
*unum Jesum, unicam esse salutis viam. In ultimis quoque, et si pectoris surama*  
*angustia vocem præcluderet, signis tamen testatum fecit, se, quæ à nobis in-*  
*geminabantur, quomodocunque assequi. Donec tandem, exardeſcente magis*  
*magisque febri & fatigente pulmonum officio, animam suam, postquam illam*  
*Deo commendassimus, & hoc meo ore illi ultimum vale ac Paradisum con-*  
*dixissem cœlestem, Christo Servatori suo placidè reddidit, a.d. vi. Id. Novemb.*  
*horâ circiter matutinâ octavâ; exactis in vitâ suâ mensibus ferè octo suprà an-*  
*nos octo & quinquaginta: relicto nobis sui ardenterissimo desiderio, fragilitatis*  
*humanæ irrefragabili argumento, & præclaro virtutis exemplo.*

Quæ ubi huc usque prosequutus sum, Audd. non expectabitis nunc porrò à  
me, ut magnum hujus luctuosi casus momentum pluribus verbis explicem. Ut  
que si quæ de meritis hujus Viri ex vero prædicavi ad animum vestrum refer-  
tis, & cum inopinato hoc illius obitu comparatis, vel lapides estis, vel luge-  
tis. Si Patriam amatis: Patria insigni nunc caret ornamento, quo nuper super-  
biebat. Si Ecclesiam amatis, privatam illam videtis parte suæ communionis ex-  
ternæ spectatissimâ, quæ exemplo pietateque, imo & eruditis Scriptis, illi præ-  
luxit. Si cura Vobis sit Academiæ, orbata illa est præcellentissimo Doctore,  
quo tanquam coruico fidere nuper illustrabatur. Si Juris amatis prudentiam,  
careatis Præceptore, Juvenes, abit invidia dicto, Doctrinâ & experienciâ hac  
in scientiâ nulli secundo. Si denique aliquâ ducamini reverentiâ & observantiâ  
erga mœstam Defuncti Familiam, ut Vos duci par est, magno illam orbatam  
videtis columine, quo nuper insigni cum decore sustinebatur. Quas cauſas do-  
loris cum ego omnes ferè cum aliis communes habeam, tum accedit, quod Ego  
speciatim per hoc fatum privatus sim amico conjunctissimo, cuius mihi com-  
merciū ut suave fuit & ad prudentiæ pietatisque profectum perutile, sic valdè  
honorificum censui. Vos tamen, Ampliss. Clariss. Viri, Defuncti Filii super-  
stites, hoc ictu gravissimè percelli par est, ut Vos percussos & dolore obrutos  
video. Parentem amisistis verè Parentem; Virum magnum; non glorioſum tan-  
tum Vobis sed & bonum; qui pari studio tam suam existimationem quam ve-  
stra commoda secundum utramque partem quâ homines estis promovit; & quem  
Vos vicissim non tantum æstimatis & reveriti estis, sed tenerrimo quoque &  
verè Filiali prosequuti estis amore, & obsequio constante. *Quis Vos lachrymas-*  
hoc

## R I T H F U N E B R I S.

23

hoc in casu fundere, quis suspiria ducere miretur; imo quis non vehementer miraretur, si acerbum hoc fatum absque gravi aliquâ commotione exciperetis? Ergo cum luctus mœstitiaque Vestræ rationes ipse ego non inprobem, neque eas proin penitus tollere possim, aut si possim velim: utinam saltem dolori vestro levamen aliquod adferre queam! Noftis, Honoratissimi Amici, absque voluntate Patris nostri Cœlestis ne pilum quidem de vertice nostro cadere, illius Voluntatem sanctam semper, sapientem, quin imo & bonam esse utilemque iis, quos diligit in Christo Jesu. Quod si igitur vero sensu amoris Dei in Christo per Spiritus S. gratiani affecti fitis, ut confido; agnoscite humiles sanctæ hoc, prudentis, & bonæ Voluntatis Divinæ Imperium, Parentemque hunc Vestrum sic lugete, ut Supremum Optimumque Parentum Vestrum Cœlestem ne offendatis. Præterea hoc meditemini, Parentem Vestrum *mortuum esse in Domino*. Quod cum alias trepidè, hic asseveranter prædicamus. Sed verò beati sunt, qui in Domino moriuntur. Quarè si & Vester Parens verè in cœlis secundum solidissimam fidem Evangelicam beatus agat. Vestro ne facite dolore, ut beatitudinem illi invidere videamini, quem quam maxumè beatum cupere vos & velle oportet. Quin proderit etiam aciem mentis Vestræ non nimis figure in præsente casu, sed illam à præsentibus avertere & declinare ad præterita, gratoque animo considerare non exigua sanè beneficia florentissimæ Familiae Vestræ in hoc Parente Vestro per prolixum annorum tractum collata. Et si omnino ad præsentia respicere velitis, reflectite potius meditationes Vestras ad hoc ipsum Beneficium, quod Divina manus ipsa veluti temperamentum & medicinam doloris Familiae Vestræ nunc recens attulit, Fratre Vestro *Zachariâ*, nuper ad Extraordinariam, modò Ordinariam Juris Professionem spectatissimâ Celsissimi Principis & Illustrium Academiæ Procerum generositate promoto, ut Parentis Vestrinomen, fama, eruditio, in hac Academiâ perennarent: quod idem Deus felix faustumque esse velit. Utique qui vulnerat idem est Deuscum eo qui sanat; sive vulneret sive sanet, semper à nobis adorandus. Vos interea operam date, ut, quod hactenus fecistis, tanti Parentis decus in Personis Vestris ipsi repræsentetis, ut qui mortuus est, non sanè mortuus, sed in Vobis vivere deprehendatur. Tu quidem, Ampliss. *Hermanne*, ad arduum munus magnisque enecte honores, ut Parentis tui in Te exprimas Prudentiam, & Patriæ saluti libertatique diligenter invigilare pergas, ad quod tam naturâ quam institutione & cultu paterno Te instructissimum effecum alias semper, tum nuper in arduo negotio luculenter probasti. Tu verò, *Zacharia*, nunc Collega conjunctissime, ut Parentis tui Eruditionem dotesque æmuleris, & ad eandem assurgas gloriam in literis, eandemque tam Tibi quam Academiæ nostræ celebritatem parias, quam b. m. Parens Tuus tam sibi quam huic Loco conciliavit; cujus tanto nobis spem fecisti majorem, quanto nuper majore plausu Institutiones privatas auspicatus es. Vos verò Ornatiſſimi Filii, *Georgi & Renate*, ut præclara illa tam Vestri Parentis quam Fratrum Vestrorum vestigia alacriter legatis, ut ad idem honorum culmen olim eadem viâ perveniatis, & Familiae Vestræ decus propriori tueamini. Id ipsum verò est, Audd unde Vos quoque petere velim argumentum consolationis. Parens occubuit: lugemus fatum. Sed en Vobis Phœ-


ni-

## ORATIO FUNEBRIS.

nicem alium ex cineribus Defuncti exsurgentem, & spem de se Academiæ facientem maximam! Hunc Vos Filium loco Parentis, cuius dotium virtutum quæ hæres est, colite; Vestrâque facite industriâ frequentiâque, Nobilissimi Juvenes, ut jacturam, quam Academia in Parente nobis eretto fecit, per Filium, aliosque Clarissimos Viros, huc ad Jus docendum modò vocatos, resarciri gaudeamus. Sic tamen colite Filium, ut præclarum exemplum studiorum & vitæ, quod Vobis in Parente HUBERO descripsimus, nunquam animo Vestro excidere patiamini. Vos præfertim meæ Gentishomines, Frisi, cujuscunque studii aut scientiæ, videte in exemplo HUBERI, Frisis magis deesse diligentiam quam facultatem, ut ad magna enitantur. *Dicce*, ait ille, *puer virtutem ex me, verumque laborem: fortunam ex aliis*. Sed ex hoc exemplo, quod ego vobis præmonstravi, utrumque disceris. In primis hoc agite, ut cum cuiuscunque scientiæ professione conjugatis sinceram Reverentiam Numinis, quâ Defunctum Vobis præuentem & ad amplissimos grassantem vidistis honores; absque quâ Dei reverentiâ omnis scientia in stultitiam vertitur, omne studium plus obest quam prodest. Mortalitatis & fatalis horæ memores sic semper & ubique vivite, ut ultimam quamque lucem tanquam non reddituram consumatis. Imo Domine, doce nos vivere, doce mori. Vivemus autem tum demum, si Tibi vivamus; moriemur, ut nobis mori convenit, si Tibi moriamur. Doce igitur nos omnes Tibi vivere, ut Tibi moriamur, & cum morte majorem & constatiorem lucifaciamus felicitatem. Tu interea, HUBERE beate, mæste illâ conditionis opumâ forte, quâ in præsentiarum frueris. Habes quod optasti; quod ardentissimis precibus per totam vitam tuam à Deo effligitasti. Versaris liber à corpore mortis apud Dominum. Sæpè mihi non vanus dixeras augur, Te nullam tibi ante mortem in his terris quietem polliceri; quieturum demum postquam hac vitâ defunctus fuisses. Ergo quiesce nunc à laboribus tuis, te non destituturis in die Domini. Nos qui in terris hactenus superstites agimus, ad eandem anhelantes beatitatem, per Divinam allaborabimus gratiam, ut nunc quidem jucundissimo tuo commercio carere coacti, licet spiritu conjuncti, serius ocyus Tecum in communione ejusdem Domini ad eandem spem gloriose resurrectionis reduniamur. Amen. Vale anima HUBERI beata!

D I X I.





Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.  
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.  
508 J 65 [2]

